



Part. 58

B. C. D.

T 47

DISSERTATIO JVRIDICA ¹²
DE
INOFFICIOSA
DONATIONE, ^{1727.2} 70

Q V A M

P R A E S I D E
DN. JEREMIA EBERHARDO

L I N C K I O,

Profess. JCto & Can. Thomano,

S O L E N N I Censuræ subjicit

*Dic*is* Maij. M DCC XXVII.*

GEORGIVS FRIDERICVS ANTHON,
Weissenburgens.



A R G E N T O R A T I,
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univers. Typogr.

585
D E O,
P A T R I A E,
P A R E N T I B U S
E T
A M I C I S.

P. 258

DISSE^TRAT^O JVRIDICA
DE
**IN OFFICIOSA
DONATIONE.**

S. I.

DONATIO INOFFICIOSA
est liberalitas, quæ contra
pietatis erga certas perso-
nas necessariò exercendæ
officium facta est. Tunc
autem contra suum egisse officium cen-
sentur donantes, cùm debitum bonorum
A 2 subsi-

subsidiū seu Legitima, νόμιμον μέρος,
λαίχα ποσημόρειον liberalitate læditur im-
modica. Nov. 18. l. 5. C. b. t.

§. II.

Nam, si pater vel mater l. 1. & 2.
C. b. aut filius l. 4. b. pene universas fa-
cultates suas, dum agerent in rebus hu-
manis, factis donationibus sive in quos-
dam liberos sive in extraneos exhausit
l. 1. C. b. t. atque id impetu quodam im-
mensæ liberalitatis, l. 2. b. t. aut ad elu-
dendam inofficiosi querelam, d. l. 1. b.
aut intervertendæ quæstionis inofficiosi
causa l. 8. b. factum fuerit, tales dona-
tiones revocandas seu corrigendas esse
primùm ratio naturalis, postea juris ana-
logia, denique *Imperialis voluntas* & suasit,
& docuit, & voluit.

§. III.

Evidem Regula nobis traditur ve-
rissima

. 5 .

rissima, Donationem, quæ per Constitutiones suis viribus nititur, nec indiget alieno administriculo l. 2. b. i. temeré revocari non posse; Non ignoratur quoq; quemlibet rerum suarum, dum vivit, moderatorem esse & arbitrum. Verum uti Regula quævis, cum in aliquo vitiata est, officium suum perdit l. i. de R. I. atque ob speciales rationes ex circumstantiis deductas singularibus exceptions admittit, ita & hoc in casu Jura suadent, docent, jubent, ut Donatio rite facta revocari, & arbitriū Domini res suas in alium transferre volentis infringi possit.

§. IV.

Scilicet cum benevolus affectus nullibi certior, quam in liberalitatis, & præsertim magnæ, exercitio apparet, natura impellit & ratio suadet, erga illos tam amabili nos ferri debere impetu, quos quam maximè dili-

gimus. Quis autem amicior esse & potest & debet, quam qui sanguinis mei fontem & originem, propaginem, particulamque constitit? Nos Sanguinem, Sanguis nos conservat, nutrit, exhilarat. Eundem itaque sibi beneficiendi mutuum impulsum & quasi magneticum ut in sanguine antea unito, ita postea diviso, permanere necesse est. Ergo liberalitates *liberos*, ut sanguinis nostri *propagines Parentes*, ut sanguinis nostri *caturigines*, fratres ut sanguinis *particularas certissimas*, spectare magis naturā debent, quam extraneos. Ergo Natura ipsa Donationes, quibus cognationis naturalis vinculum læditur, tanquam contra sanguinis & amoris officium factas considerare voluit.

§. V.

Non itaque mirum, quod Legislatori placuerit, testaturos quoslibet parentes

rentes, liberos & certo casu fratres ad quan-
dam portionem sibi necessario relinquendam, quam LEGITIMÆ titulo insigni-
verunt, obstringere ; Et quidem eo ef-
fectu, ut, si liberi vel parentes silentio sint
prætermitti, ultima voluntas nullitati ;
si rite, sed inique exheredati, querelæ in-
officiosi testamenti subjaceat.

§. VI.

Quia vero inventa lege, inventa est
fraus, pessimi mortalium sanguinem suum auersantes, ad eludendam inofficiosi
testamenti querelam, ita ratiocinati sunt :
Nullo condito testamento, querelam in-
officiosi locum plane non habituram ; In-
ter vivos Donationem factam temere re-
vocari non posse ; Legitimam denique
non esse, nisi post mortem ; Legitimam
quippe partem esse hereditatis, Heredita-
tem autem non esse viventis, sed mortui.

Hinc

Hinc ad submovendam liberorum querelam donationibus inter vivos immodicis facultates suas vacuas fecerunt & sic inane nomen heredum liberis reliquerunt, atque quod ita Legi fraudem fecerint, mire sibi applauferunt.

§. VII.

Ast tales scire debebant Calumnatores, legis sententiam, seu mentem verbis imperare, non vero verba menti limites ponere. Scientia legum non est verba tenere, sed mentem earum rité nosse. Voluntas Legislatoris est ratio & anima verborum, quâ verba laxius posita restringuntur, strictius sumta extenduntur. Voluit Legislator, ut ex facultatibus suis quilibet quandam portionem ad liberos, parentes, aut suo modo fratres transmitteret. Prohibuit itaque, omnes deflexi vias, tam directas, quam indiretas,

etas, tam patentes, quam latentes. Qui itaque voluit Legitimam ad quosdam per- venire, his, qui ea quovis modo privan- tur, remedium eam consequendi conces- sisse censendus est. Et qui introduxit querelam inofficiosi in mortis causa nego- ciis, ob legitimam ademtam, eandem quoque dedisse intelligendus est in nego- ciis inter vivos in fraudem legitimæ su- sceptis. Ergo & analogia Juris Romani hanc inofficiosæ Donationis querelam sine ulla lege speciali stabilivisset.

§. VIII.

Ut autem omnis prætextus, quasi nulla lex immodicis & legitimam læden- tibus posita esset donationibus, omne- que tollatur dubium, Imperatores Philip- pus, Diocletianus & Maximianus, &

B post

post eos Constantinus A. & Julianus Cæsar Judices ad formam inoffic. test. lites de donationibus in officiosis oriundas decidere iusserunt. Allegari hic meretur præsertim l. 9. C. b. t. in qua Imp. Constant. Olybrio rescribit: „Non convenire „dubitari, quod immodicarum donationum omnibus querela *ad similitudinem in officiosi testamenti LEGIBUS* fuerit „introduced: Ut sit in hoc actionis utriusque vel una causa vel similis existimanda vel idem & temporibus & moribus.

§. IX.

Fundata igitur est, & ratione naturali & civili *Querela in officiosæ donationis*, quæ est actio personalis, data liberis vel parentibus vel suo modo fratribus contra eos, qui ritè quidem factam, sed legitimi-

legitimam lædentem acceperunt donationem, ad eam revocandam seu rescindendam. Dico esse actionem personalis ; Datur enim tantum contra eum, qui donationem accepit & ex ea locupletior factus est, non vero regulariter contra tertium possessorem. Oriturque ex quasi Contractu, qui fundatur in æquitatis Regula, quâ nemo præsumitur aliquem velle locupletari cum damno aliorum, vel publico scandalo.

§. X.

Actores sunt Liberi, Parentes vel certo casu fratres, quorum legitima læsa est. Non vero datur fratum vel sororum filiis, patruis vel avunculis, amitis vel materteris. Nam nec hi possunt querelam inofficiosi testam. instituere, Ergo nec hanc querelam. Quamvis

B 2

autem

autem inofficiosi testamenti querela non possit ab intestato locum habere, attamen si dictæ personæ immensas fecerunt donationes & intestati deceperunt, æque competit querela donationis inofficiosæ ac si testatæ deceperint, l. 3. b. t.

§. XI.

Nec refert, an pater vel mater filii vel extraneis donaverit l. 1. 2. 5. 6. 7. c. b. t. dummodo liberis emancipatis pater donaverit. Nam si in filium in potestate sua constitutum donationem contulit, non valet donatio, sed morte demum confirmatur l. *donationes quas parentes 25. de D. inter V. & U.* Ideò res donatæ non eximuntur dominio patris donantis, nec facta videri potest Don. ad submovendam querelam; proinde non dabitur inofficiosæ donationis querela, sed *actio fam. erciscundæ*

scundæ l. 2. b. t. Neque refert, an pater proprias, vel mater à marito sibi donatas communī filio emancipato donaverit, etiam consentiente *Domino*, (Ita enim Maritos solebant uxores appellare.) Nam cum Donationes inter Virum & Uxorem probibitæ sint, idem esset ac si pater filio donasset *l. 7. b.*

§. XII.

Uti autem Inofficiosi Testamenti querela non semper locum habet, Ita & hæc. Itaque I. Si adsit aliud remedium ordinarium, ad hoc, tanquam subsidium non venitur. Unde si filiofamilias donatum à Patre, reliquis filiis, uti dictum est, competit ordinaria fam. ercisc. actio. *l. 2. b. t.* & si minor 25. annis extraneo donavit, mater querelam inofficiosi non instituet, sed

B 3

ut

ut heres filii minoris ex ejus persona resti-
tutionem in integrum petet. Nam &
filius vivus hoc uti remedio potuisset.
Quin ergo mater eo, tanquam ad heredes
transitorio uti queat, nullum est dubium
l. 4. C. b. t.

§. XIII.

Sunt aliæ causæ (II.) quæ querelam
hanc penitus excludunt; Nam quæ exclu-
dunt querelam inofficiis testamenti, etiam
exclud. querelam inoff. donat. Ergo
Causæ exhered. in Nov. 115. allegatæ
& a Donatario probatæ excludunt hoc
remedium. Præsertim lapsus quinquen-
nii, Læsio deficiens, Agnitio voluntatis
defuncti. Nam actionis utriusque vel
una causa vel similis existimanda & tem-
poribus & moribus *l. f. b. t.*

§. XV.

§. XIV.

Effectus tamen utriusque actionis non per omnia videtur esse similis. Quippe testam. inofficiosi querela Jure Instit. Dig. & Cod. totum annullat testamen- tum, Jure Nov. vero solam heredis in- stitut. infirmat. Verum Donatio inoffic. non enervatur tota, ast saltem ad concur- sum legitimæ respicitur, deduciturque tantum, quantum deest portioni à legi- bus imperatæ. Dicitur enim in l. 5. & 7. tantum ex factis donationibus debitum bonorum subsidium detrahendum, & id quod immoderatè gestum est, saltem revocandum.

§. XV.

Quo tempore actio hæc institui possit? quæritur. Respondetur, cum ef- fectu non institui posse, nisi post mortem.

Tunc

Tunc enim demum apparet, an ad submovendam querelam tām effusa sit celebrata donatio & an re ipsa fraus legitimā facta fuerit. Ante mortem quippe donantis bona possent rursus crescere, quo quidem augmento perstante lāsio ipso jure diminueretur vel plane tolleretur.

§. XVI.

Computatio autem lāsionis primā fronte difficilis videtur indagatu ; hunc tamen in modum fieri debet : Addenda est summa rei donatæ quantitati bonorum, non tempore donationis existentium, sed à donante relictorum; Et si id quod relictum est, non facit tertiam aut dimidiā partem totius summæ, quæ prodiit, tunc demum de inofficiositate queri posse, certissimi juris erit.

T A N T V M.

Straßburg, Diss., 1723-39

ULB Halle
002 491 648

3



4
Sb.

Farbkarte #13



P. L. 58.
Book num. 23.

C. D.

IO JVRIDICA 12 8,1.
ICIOSA
TIONE, 1727 2
SID E
EBERHARDO
CKIO,
Can. Thomano,
Censuræ subjicet
M DCC XXVII.
ERICVS ANTHON,
nburgens.
TORATI,
PIESCKERI, Univers. Typogr.

FRIEDERS ALIE